

Biblioteka Jagiellońska
stdr0002176


V
B
J
C



Bratkowii Adriani: Conclusiones ex doctrina Scoti collectae de sacramentis.

CONCLVSIONES
EX
Doctrina Scoti collectæ.

DE SACRAMENTIS
in genere, & de tribus in ſpecie.



DE BAPTISMO.
DE EVCHARISTIA.
DE POENITENTIA.



CRACOVIÆ,
In Officina Matthiæ Andreouienſis, Anno
Domini 1620.

p.

In Stemma domus Lubo-mirscianæ.



FLumina voluuntur gressu currentia Largo
Quid mirum? flumen terra polusq; bibit
Baptismi Flumen toto diffunditur orbe,
Cur sic? Baptismum fluminis vnda parat.
Stemata quæ Cerno vasto tolluntur in orbe,
Quid mirum? Flumen stemmata vestra tulit.
Desine mirari? Baptismum si tibi Sacro
Cur sic? larga domus stemmata Cerno tuæ.

ILLVSTRISSIMO DOMINO,

D. STANISLAO LVBOMIRSKI, COMITI DE WISNICZ, MENSÆ REGIÆ

Distributori, Capitaneo Sendomiriensi, Scepusiensi, Dobcicensi. &c. &c. Patrono colendissimo.

Fr. ADRIANVS BRATKOWIC, *Ordinis Minorum Conuentualium S. Theol. Doctor, & in Conuentu Vienensi Regens. O. D. C.*

REIPVBLICÆ ET Religionis amor, necessaria quadam communione inter se consentiunt, & copulantur Illustrissime Domine, ita vt qui se verum ciuem patriæ ostendat, idem & assertorem Religionis profiteatur. Nam si patriæ libertas, leges, ciuium incolumitas

 iustitiæ

iustitiæ & pietatis fundamentis nituntur ruere hæc non possunt, nisi eodem impulsu labefacta concidat religio. Æterna Dei Optimi Maximi prouidentia factum est, vt te his turbulentissimis malorum omnium tempestatibus, & patria verum ciuem & religio tutelarem præsentissimum, & vtilitas publica propagatorem inueniret amplissimum, at cùm cætera tibi à fortuna commodata sint, animum bonis publicis amplificandis paratissimum inflammatam religionis ornandæ cupiditatem, hæc à virtute profecta videamus. Quapropter cùm veritatem fidei nostræ, insana Hereseum immanitas obscurare & denigrare cupiat, Hæc amplissima de Sacramentis materia Te sibi Patronum poposcit, in cuius præsidio conquiescat. Quem enim Patronum Gymnasium Minoritarum, promouendis suis studijs quæreret, nisi eum cuius liberalitate, & singulari patrocinio Conuentus noster tot annis esset sustentatus, à quo erat æquius, contra falsissima

Hæretico-

Hæreticorũ dissidia opem implorare, quam ab eo quem publicis hisce insidijs restinguendis & patria & religio desideraret? Etenim si ea Sacramentorum, vel sola recordatio salutaris est, ea virum Reipublicæ suæ salutarem acerrimum fidei assertorem quærere necesse habebant. Per Eucharistiam, gratiam interpretamur, perquàm Magnificè satis, in omnes homines Deus efficaciam cælestium munerum deriuauit: quot & quanta dona (gratia supremi Dei) in tuam familiam congesta sunt? Confirmationis Sacramento militiæ Christi adscribimur operosum sanè esset, tuos illos fide Christiana excellentes numerare, qui religionem veram, ad rogum vsque suum omnes Hæreticorum imposturas eiurantes, sunt professi & gradum vtriusque militiæ, felicissimè tenuerunt. Tu quoque veluti firmissimæ tuæ nobilissimæ Lubomirscianæ Domus columna, defensione Christi & eius Ecclesiæ inflammatus, supremum militiæ gradum, in tot ca-

strorum

strorum Ordinibus, prudentia & in arte militari singulari peritia, tibi iuremerito comparasti. Baptismatis quoque Sacramentum, cum tuo limpidissimo in Semmate fluuio perquam optimè congruit; cùm vtrobique vbertas magnifica inde virtutum hinc donorum cælestium effundatur. Viuit adhuc illa & viuet ad immortalitatem vsque L. Aluanij, in suos Deos & Cæremonias Roma fugientes propensio, qui propior publicæ religioni, quàm priuatæ vtilitati sacra onera plaustro suo imposita Cære in oppidum extra tela & hostium formidinem peruexit. Abusq; Vienna ciuilibus ardente tumultibus insanientium armorum strepitus declinantem Sacramentorum & Cæremoniarum nostrarum, veritatem in fide & præsidium tuum accipe, Te sibi tanquam portum è medijs euecta fluctibus delegerunt: quod vbi feceris, tuam illa maiorem quam Cæritum hospitalem humanitatem, non Ioui alicui, Xenio sed vero & æterno Deo palam testabuntur. Vale, & in Nestoreos annos felicissime viue.

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ.

De Sacramentis in genere.

An Sacramentum sit possibile.

1. VT Sacramentorum non repugnantiam ostendamus, omnipotentiam Diuinam & intrinsecam rationem Sacramenti præsupponenda esse arbitramur, atque ex his veluti ex causis, primario ex intrinseca ratione secundario ex omnipotentia supremi entis Sacramentum intra latitudinem entis distincti à chimera constituimus.

2. Sacramẽtum enim in propria ratione & essentia nihil includit, quod obiectum omnipotentiæ diuinæ adæquatum excedat. ob id nulla contradictio est. aliquem effectum insensibilem creare, illumque ad salutem hominis viatoris ordinare.

3. Et cùm huiusmodi effectus insensibilis sit, nihil impedit aliquod signum sensibile instituere, quo representetur, vt insensibile per sensibile percipiatur

4. Nec repugnat Deum ex beneplacito suo cooperari huic singo sensibili, ad signandum effectum

insensibilem instituto, moxque posito signo infallibiliter producere effectum signatum dummodò in subiecto non ponatur indispositio contraria effectui signato.

5. Ex his colligimus, hanc combinationem carere omni contradictione & repugnantia, signum sensibile Practicum, verax, certum, & efficax ad salutem hominis viatoris ordinatum.

Quid sit?

6. Sacramentum est signum sensibile, gratiã Dei & effectum eius gratuitum ex institutione diuina efficaciter & regulariter significans, ad salutem hominis viatoris ordinatum.

7. Nec coincidunt hæc, adinuicem signum practicum & efficax, cùm multa sint signa practica quæ efficacia non sunt.

8. Signum practicum ex vi institutionis non tantùm ad significandum, verumetiam ad esse reale signati ordinatur. Speculatiuum verò ex institutione tantùm significat, ab existentia signati abstrahit, eiusque fieri vel factum esse per accidens concernit.

9. Cùm autem contingat signatum poni inesse, vel prius natura quam signum ponatur. vel simul cum signo, vel immediatè post signum, hinc diuidimus signa practica in efficacia & non efficacia.

10. Præ-

10. Præsuppositam Sacramenti diffinitionem exactam, sufficientem & adæquatam conuertibilem cum diffinito, esse volumus, in qua omnes conditiones Sacramentis propriè dictis essentiales sunt.

Quale sit & quibus proprietatibus gaudeat?

11. Qualitates & proprietates Sacramentorũ nouæ legis sunt. Hominem viatorem ex opere operato iustificare, morbos spirituales efficaciter curare, ad vitam æternam proximè & immediatè disponere, vniuersaliter & infallibiliter cuicunque suscipienti obicem non ponenti vberiorem & perfectiorẽ gratiam conferre.

12. Quod si Sacramenta veteris legis propriè dicta ex opere operato homines sanctificabant, nihilominus non vuiuersaliter cuicunque suscipienti obicem non ponenti, iustitiam & gratiam conferebant, non proximè ad actualem ingressum paradisi disponebant, nec perfectũ gratiæ gradum propria virtute attingere valebant.

13. Vnde Circumcisio ex opere operato, & peccatum originale delebat, & primam gratiam conferebat, licet non tantam, quantã confert Baptismus.

14. Et per hoc inter se distant Circumcisio & Baptismus, quia Circumcisio non erat vniuersale signũ omnibus ex opere operato cõferens gratiam, ex de-

fectu paſsionis Chriſti exhibitæ, non potuit cauſare gratiam proximè & immediatè, diſponentē ad vitam æternam.

15. Baptiſmus verò vniuerſale eſt ſignum efficax gratiæ, confert omnibus gratiam ex opere operato, dummodò non ponant obicem, etiamſi iuſtificatum inueniat, iuſtitiam auget, ſi non, primam gratiam infallibiliter confert.

16. Præterea dicimus Circūciſionem principalius inſtitutam eſſe ad hoc vt primam gratiam conferat, ſecundariò vt peccatum Originale deleat, & licet Deus Opt. Max. potuit inſtituere Sacramentum Circumciſionis, ad delendum peccatum duntaxat, & non ad inducendam gratiam, non tamen ſecundùm diſpoſitionem prouidentiæ ſuæ ita factum eſt, quia ſicut Baptiſmus, ita & Circumciſio vtrumque effectum priuatiuum & poſitiuum virtualiter continent.

17. Hinc cum Doctore ſubtili ſuſtinemus, nullā eſſe repugnantiam ex terminis deleri peccatum Originale abſque infuſione alicuius formæ realis poſitiuæ, tam gratiæ, quàm iuſtitiæ Originalis.

18. Nec infuſio gratiæ habitualis habet cum Sacramentis connexionem adeò neceſſariā, quin Deus non poſsit alia via præter Sacramenta homines iuſtificare, nec potentiam ſuam alligauit Sacramentis, cum

tis, cùm poſsit iuſtificare ex aliquo opere operantis, quod ſit actus liber ſupernaturalis, meritorius de congruo gratiæ gratum facientis.

19. Quare inſtitutio Sacramentorum non eſt abſolutè neceſſaria, at duntaxat congruum eſt inſtituere ſeptem Sacramenta in lege Euangelica. Congruentia ſumitur ex perfectione legis Euangelicæ, & ex ſtatu naturæ humanæ lapſæ.

20. At ſi Sacramenta ad omnem ſtatum comparemus, non vniformiter eorum inſtitutio in quocunq; ſtatu locum tenet. In ſtatu innocentiæ neceſsitatem non habet. Completo hoc ſtatu mox ſtatus peccati neceſsitatem Sacramentorum inducit. Qui cum triplici lege gaudeat, Naturæ, ſcripta, & Euangelica, mutationem & diuerſitatem Sacramenti in hac & illa lege admittit.

21. Hæc mutatio & diuerſitas, eſt ſigni, non ſignati, licet enim commutetur ſignum ſecundum mutationem legis, ſignatum tamen non mutatur.

22. Cauſalitas quæ in Sacramentis viget, inſtrumentalis eſt & Phyſica, nec ob id aliquam virtutem Sacramentis inexiſtentem, neq; permodum habitus, neq; permodum fluxus, neq; motum ipſum virtuoſum, neq; potentiam obedientialem actiuam, neq; aliam diſpoſitionem intermediam concedimus, at Sacramenta ipſa eſſe diſpoſitiones ad grati-

 am pro-

am proximas & immediatas, & cauſas per ſe gratiæ arbitramur.

Propter quid ſit?

23. Cauſæ Sacramentorum reducuntur ad duo genera, ad cauſam principalem & meritoriam. Cauſa principalis eſt Chriſtus Deus. Meritoria Chriſtus homo, qui per ſuam paſsionem & mortem meruit omnibus Sacramentis efficaciam & virtutem.

24. Cum autem Sacramentum ſit ſignum gratiæ certum Practicum infallibile & efficax, dicimus auctorem Sacramentorum quantum ad certitudinem & efficaciam eſſe ſolum Deum. Neq; alicui creaturæ hæc poteſtas communicabilis eſt.

25. Vt autem Sacramentum ſignum quoddam eſt, imò vt Practicum eſt, ex vi horum conceptuum nõ repugnat creaturæ rationali inſtituere Sacramenta. Ex vi verò efficacitatis & infallibilitatis repugnat.

De Sacramentis in ſpecie.

De Eſſentialibus Baptiſmi.

Quæ ſit eius Diffinitio?

26. CVm Baptiſmus eſſentialiter præſeferat relationem ſigni ad ſignatum in dubium vertitur. An fundamentum totale huius relationis ſit

ſola ablu-

ſola ablutio exterior, abſq; verbis vel ablutio cum verbis, vtrumq; probabiliter defendemus.

27. Ex prima Problematis parte huiusmodi diffinitionem Baptiſmi colligimus. Baptiſmus eſt ablutio exterior hominis aliqualiter conſentientis, facta à debito Miniſtro in aqua, ſimul verba certa cum intentione debita proferente, ſignificans efficaciter & infallibiliter ex inſtitutione diuina ablutionem animæ internam à peccato Originali.

28. Ex ſecunda parte Problematis verba cum ablutione coniungimus, & ex his fundamentum totale relationis componentes dicimus. Baptiſmum eſſe ſignum ablutionis animæ à peccato conſiſtens in ablutione hominis externa aliqualiter conſentientis, facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis, ſimul ab eodem abluente cum intentione debita prolatis. Vtraq; diffinitio quidditatem Baptiſmi rectè explicat.

Quæ Forma?

29. Cum formam Baptiſmi inueſtigamus, non formam propriè dictam ſed Metaphoricam inquirimus quam proportionem in fundamento relationis videmus.

30. Et quia in fundamento Baptiſmi, duo coniungimus, verba prolata cũm ablutione externa ob id vnum iſtorum quod magis proportionatur formæ, for-

mæ, formam, alterum, quod proportione accedit ad materiam propriè dictam. Materiam Methaphoricam huius Sacramenti appellamus.

31. Verbis autem potiùs quam ablutioni rationem formæ adſcribimus. Quam declaratam habemus ab Eccleſia veritatis Magiſtra hunc in modum. Ego te Baptizo, in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti.

32. Ex his verbis quædam eſſentiam Sacramenti conſtituunt. Quædam duntaxat ad ipſius eſſentiam neceſſario requiruntur. Nec exiſtimo hæc verba aliqualiter non poſſe mutari. Et hæc mutatio aliquando contingit in ſubſtantia, verborum, interdum in Quantitate, Qualitate, & Vbi.

33. Si contingat in ſubſtantia, deſtruit formam Baptiſmi. In Quantitate verborum facta poteſt deſtruere at non neceſſario deſtruit. In Qualitate ex imperitia linguæ facta non deſtruit Formam. Si verò fiat ſecundum Vbi. Tranſponendo verba ante & retrò aliqua deſtruit, aliqua ſtat cum Forma Sacramenti.

Quæ Materia?

34. Ablutio exterior in aqua naturali eſt materia proxima debita Baptiſmo. Materia remota eſt aqua naturalis.

35. Vnde aquæ artificiales non poſſunt ſumi in materi-

materiam Baptiſmi, quia ſpecificè diſtinguuntur, ab aqua naturali & æquiuocè non vniuocè conueniunt in nomine aquæ.

De Extrinſecis Baptiſmi.

Quis Baptizandus?

36. SOlus homo viator peccato Originali obnoxius debet baptizari. Ob id paruuli infantes cum labe Originali inficiantur baptizandi ſunt.

37. Qui licet in vtero exiſtẽtes baptizari nequeant baptiſmo fluminis, tamen extra vterum baptizati ex vi Baptiſmi nanciſcuntur, primam gratiam fidem & ſpem à Deo infuſam.

38. Adulti quoq; ſunt baptizandi, qui ſi actuali vſu rationis careant, nec vnquam ratione vſi fuerint, vt ſunt amentes à Natiuitate, ſine proprio conſenſu ad modum infantium debent baptizari.

39. Qui autem aliquando ratione vſi ſunt, licet actu non vtantur, tamen cum habituali conſenſu baptizari debent. Et ſi baptizentur, recipiunt Sacramentum & rem Sacramenti. Si verò habitualem diſſenſum habuerint, capaces non ſunt Sacramenti.

40 At quid dicendum de adultis, actualem rationis vſum habentibus, indubitanter ſuſtinemus ex parte illorum neceſſarium eſſe conſenſum. Nam per

oppoſitum diſſenſum Sacramentum recipere nequeunt.

41. Hunc diſſenſum diuidimus in poſitiuum & negatiuum. Adultos diſſentientes poſitiuè, ſi abſoluta nolitione diſſenſerint, exiſtimo non eſſe baptizandos, quãdo conſtat de tali diſſenſu. Quod ſi diſſenſerint nolitione conditionata, non impedit Sacramentum, ſed rem Sacramenti.

42. Diſſenſus negatiuus rectè diuiditur in actualem, virtualem, & habitualem. Actualis diſſenſus negatiuus, cum conſenſu virtuali ſufficit ad Sacramentum & ad rem Sacramenti. Etſi fiant ſimul actualis, virtualis, & habitualis, impediunt ſuſceptionem Sacramenti.

43 Cum autem contingat conſenſum eſſe verum & fictum. Si ſit fictus impedit Sacramentum. Fictio enim in cõſenſu reddit hominem non capacem Sacramenti: fictio verò in contritione impedit tantum rem Sacramenti.

44. Adultus fictus de dolore peccatis mortalibus debito recurrens ad pœnitentiam remiſsionem peccati originalis & mortalis verè conſequitur, & iterũ baptizari non poteſt.

Quis Miniſter?

45. Quodcunque ſuppoſitum naturæ intellectualis, potens efficere ablutionem externam, potens loqui

loqui & vti ratione est Minister Baptismi cõueniẽs.

46. Eius malitia non impedit nec Sacramentum nec rem Sacramenti, hinc suscipientes Baptismũ ab excommunicato sacerdote verè baptizantur.

47. Quid autem de Baptismo à pluribus ministris circa vnum baptizatum facto dicendum sit, nõ leuis est difficultas. Nos sentimus plures sacerdotes vnum baptizantes verè baptizare.

48. An verò vnum vel plures baptismos efficiant, probabilius vnitatem quam pluralitatem Baptismi admittimus. Et si vnus plures baptizet, verè baptizat, & plures baptismos numero efficit.

Quæ Intentio?

49. Intentio Ministri necessaria est ad veritatem Sacramenti: Finis autem intentus, est principalis & remotus. Minus principalis & proximus. Finis principalis & Remotus, non spectat ad necessitatem Sacramenti: at duntaxat Finis proximus.

50. Huiusmodi finis intentus in generali sufficit ad esse Sacramenti, vt sit intentus in particulari, non est necessarium.

51. Hęc intentio si est habitualis tantùm, non sufficit ad Sacramentum. Actualis non est de necessitate Sacramenti. Virtualis est simpliciter necessaria, defectu eius baptismus Sacramentũ esse nequit.

De Euchariſtia.

De natura Euchariſtiæ

Quid ſit?

52. A Quidditate & natura Euchariſtiæ exordium ſumentes, hanc diffinitionem illius conſtituimus. Euchariſtia eſt ſignũ ſenſibile corporis & ſanguinis Chriſti veraciter ac realiter contenti ſub ſpeciebus panis & vini, poſt conſecrationem factã à ſacerdote, ſub certis verbis, cum intentione debita prolatis, ex inſtitutione diuina veraciter ſignificans, corpus & ſanguinẽ Chriſti ſub illis realiter cõtineri.

53. Hinc colligimus Euchariſtiam eſſe Sacramẽtum permanens, cuius fieri diſtinguitur à facto eſſe. Conſecratio qua conficitur Euchariſtia eſt fieri & inceptio Sacramenti: Sacramentum verò Euchariſtiæ, ſunt accidentia panis & vini conſecrata. Suſceptio autem Euchariſtiæ eſt quidam actus ſacramentalis, quo mediante applicatur Euchariſtiæ membris Eccleſiæ.

54. Dicendum ergo eſt, Sacramentum Euchariſtiæ ſignificare duos effectus, vnum immediatè, alterum mediatè. Immediatè inſtitutum eſt ad ſignificandam realem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti: Mediatè ſignificat & cauſat gratiam habitualem,

tualem, qua nutrimur & crescimus in vita spirituali, & in bono consumamur.

Quam formam habeat?

55. Sacrosanctum venerabilis Eucharistiæ Sacramentum, in fieri non in facto esse formam & materiam habet. In consecratione panis prolationẽ horũ verborũ (Hoc est enim corpus meum) In consecratione vini prolationem aliorum, nempe, Hic est calix meus, &c. rationem formæ habere tenemus.

56. Hæc verba necessariò sunt coniungẽda præcedentibus: Qui pridie,&c. & simili modo postquã cœnauit?

57. Et cum per ista verba corpus & sanguis Christi verè sit præsens speciebus panis & vini, vtrum in initio prolationis, in medio vel in fine hæc præsentia incipiat esse. In vltimo instanti, prolationis omnes Theologi consentiunt, & veritatem horum verborum ex decreto & operatione diuina pendentem in eodem instanti ponunt.

58. Omnes Scoto fauentes, hunc ordinem in cõsecratione Eucharistiæ assignant. Primò totũ tempus prolationis omnium verborum accipiunt. Secundò, vltimum instans temporis verborum prolationem mensurantis, in tria instantia & signa naturæ diuidunt.

59. In primo signo naturæ est oratio tota significatiua corporis & sanguinis Christi, & conuersiua panis & vini in corpus & sanguinem. In secundo est actio diuina mediante oratione sacramentali facta. In tertio instanti oratio fit vera. Quare huiusmodi oratio prius naturaliter est significatiua & conuersiua quam sit vera, quia pro primo instanti naturæ nec vera est nec falsa. At Neutra.

60. Et cum ly (Hoc) aliquid demonstret, Dubiũ est. An substantiã panis. An corpus Christi, vel accidentia ipsa. Nos respondemus demonstrare quoddam indiuiduum & singulare entis. Nec aliud cum veritate demonstrare valet.

Quam Materiam?

61. Solus panis triticeus coctus est materia conueniens & necessaria consecrationis Sacramentalis. Panis azimus non spectat ad necesſitatem Sacramẽti cum fermentatus sufficiat.

62. In consecratione Calicis vinum naturale vitis est materia conueniens ac necessaria. Vina artificialia, pomorum & similia à materia huic Sacramento debita reijciuntur.

Quem Ministrum?

63. Sacerdos rite ordinatus solus potest consecrare, huic ad consecrationem forma materia, & intentio debita necessaria est.

64. Impe.

64. Impedimenta quæ ordinatam conſecrationem impediunt reducuntur ad culpam & pœnam, quando peccato læthali eſt obnoxius, vel pœna Canonica ligatus.

65. Conuenientia quæ ad ordinatam Miſſæ celebrationem requiruntur, ſunt Ornamenta, Cęremoniæ, & alia ab Eccleſia Romana inſtituta.

Quem ſuſcipientem?

66. Quatuor ſunt modi generales ſuſcipiendi Euchariſtiam. Aliquis ſuſcipit nec Sacramentaliter, nec ſpiritualiter. Aliquis Sacramentaliter non ſpiritualiter. Aliquis Sacramentaliter & ſpiritualiter. Aliquis ſpiritualiter non Sacramentaliter.

67. Hinc omnis adultus capax eſt huius Sacramenti, fidelis & infidelis, iuſtus & iniuſtus. Diuerſis tamen modis. Nam iuſtus fidelis fructuoſè, infidelis & iniuſtus, infructuoſè imò pernicioſe recipiunt.

De re ſignata in Sacramento Euchariſtiæ.

An corpus Chriſti ſit præſens in altari?

68. QVoniam res primaria huius Sacramenti ſit Corpus & Sanguis Chriſti de fide tenemus Corpus & ſanguinem realiter contineri ſub ſpeciebus panis & vini.

69. Cor-

69. Corpus inanimatum & exangue, per se primò & ex vi verborum signatur in specie panis, sanguis pariter ex vi verborum & adæquatè signatur in specie vini.

70. Vnde ad dubium occurrens, An in triduo mortis Christi posſit confici Eucharistiæ Sacramentum affirmatiuè respondemus: sub specie panis esset tantummodò corpus diuinitati vnitum, sub specie vini solus sanguis.

71. Corpus Christi in Sacramento existens, habet quantitatem trinæ dimensionis, sine modo quantitatiuo, & ob id habet ordinem partium in toto, licet careat ordine partium in loco.

72. Modus quantitatiuus, nihil absolutum addit quantitati, At purum respectum extrinsecus aduenientem: Hinc sequitur non esse repugnantiam separari positionem partium in toto, quæ est de genere quantitatis à positione earundem in loco, quæ est de genere situs.

73. Quodsi actionem diuinam qua corpus Christi ad altare adducitur inquiras, hanc adductionem vel adductiuam actionem appellamus, Hæc nullum terminum producit: nec cum altera actione qua respectus præsentialitatis de nouo producitur, coincidit.

An simul sit in cælo & in altari?

74. Cor-

74. Corpus Christi simul est in cælo & in Sacramẽto. Præsentia in Sacramento est tota in toto, & tota in qualibet parte. At in cælo naturalis est ac dimensiua, & modo quantitatiuo gaudet.

75. Vnde mutatio in corpore Christi existens, qua transit à non esse hic adesse hic, acquisitiua & non deperditiua est.

76. Facultas naturalis separare non potest mutationem acquisitiuam à deperditiua, & ècontra: At supernaturalis virtus, quæ ad omnia non repugnantia extenditur, vnam sine altera efficere valet.

77. Consequẽter dicendum, quod in motu corporum locali duæ mutationes realiter distinctæ separabiles includantur, vnam priuatiuam, alterã positiuam rectè philosophantes appellant.

78. Ex his elicitur vnum corpus posse existere simul in pluribus locis, ne dum Sacramentaliter, verumetiam dimensiuè, circumscriptiuè & visibiliter.

An totum quod habet in cœlo teneat in Sacramento?

79. Mirabilem & ineffabilem modum existendi Sacramentalem cum modo existendi naturali, non esse necessariò connexum, & ab illo separabilem indubitanter sustinemus.

80. Hinc rectè docet Scotus, sacrosanctum venerabilis Eucharistiæ Sacramentum posse institui ante incarnationem verbi & ante naturalem natiuitatem Christi.

81. Ex

81. Ex hoc quoque sequitur, Christum Dominum non esse necessariò sub modo sacramentali, nec necessariò illas proprietates quas habet sub modo naturali habere sub modo sacramentali.

82. Quod si intelligamus de necessitate suppositionis & concomitantiæ, dicimus Christum omnes proprietates & qualitates absolutas necessarió tenere sub modo sacramentali.

An agat?

83. Actiones cúm sint duplicis generis, immanẽtes & transeuntes, dubium est, quænam possint cõuenire Christo in Sacramento existenti. Immanentes aliquæ conueniunt per se primo, aliquæ non primo. Omnes operationes spirituales & intellectiuæ conueniunt primò. Operationes autem sensitiuæ non primò & concomitanter.

84. Actio transiens Christo sacramentaliter existenti, cõuenire nequit, nec potest aliquid transmutare, aut aliquam corpoream qualitatem producere.

An patiatur, moueat & moueatur?

85. Sacratissimum corpus Christi in Sacramento existens, à nullo motore creato potest moueri localiter, neque transmutari mutatione reali, solus attamen Deus mouet illud motu locali ad motũ hostiæ: Sacerdos nullò modo tangit aut mouet, neque per se neq;

ſe, neque per accidens.

88 Aliquis motus ad formas abſolutas poteſt ineſſe non primo Chriſto in Sacramẽto exiſtenti. Motus autem localis non neceſſariò ei conuenit, neque primo, neq; non primo. Vnde poteſt Chriſtus moueri in cælo & quieſcere in Sacramento, & è contra.

87. Anima Chriſti poteſt mouere alia corpora diſtincta localiter & debitè approximata motione inorganica: In proprio autem corpore nullam motionem neq; organicam, neque inorganicam exercere poteſt.

88. Glorioſa & admirabilis exiſtentia Chriſti Sacramentalis oculo corporeo videri nequit, ab intellectu tamẽ & abſtractiuè,& intuitiuè intelligi poteſt.

89. Intellectus ſeparatus à materia, facultate propria naturali, Chriſtũ in Sacramẽto exiſtentẽ intueri poteſt. Coniunctus nequaquam.

De Tranſubſtantiatione panis & vini.

An ſit? Quid ſit? & qualis ſit?

90. TRanſubſtantiatio eſt ſpecies actionis diſtincta à generatione, corruptione, creatione, & annihilatione, eſtq́ue tranſitio totalis vnius ſubſtantiæ in alteram.

91. Cùm autem ſubſtantia in alteram tribus modis tranſire valeat: productione, conſeruatione, & adductione: hinc tres ſpecies Tranſubſtantiationis ad aures Scoti aſsignamus. Vnam productiuam, alteram conſeruatiuam æquiualentē productiuæ, tertiam adductiuam appellamus.

92. Huiuſmodi ſpecies conuerſionum eſſe poſsibiles & cauſabiles ab omnipotentia Dei clariſsimū eſt. Nam cum poteſtati diuinæ eſſe & non eſſe totale cuiuſcunq; ſubſtantiæ pleniſsimè ſubijciatur, ſequitur Deum poſſe efficere Tranſubſtantiationem, poſſeq; conuertere quodlibet in quodlibet.

93. Panem igitur poſſe conuerti in corpus & vinum in ſanguinem: quis ambigit? Hæc conuerſio panis & vini præſupponitur præſentiæ Chriſti Sacramentali: An autem potentia Dei abſoluta præſentiam Sacramentalem, ſubſtantia panis manente efficere valeat? affirmatiuè reſpondeo.

94. De facto tamen ſubſtātia panis deſtruitur, non per reſolutionem in materiam primam, nec per corruptionem in aliud, neq; per ſolam annihilationem: At per conuerſionem & Tranſubſtantiationem in corpus Chriſti. Hæc Tranſubſtantiatio productiua non eſt. Annihilationem ei eſſe annexā non inconuenit.

De Pœnitentia.

Quid

95. Siue de Pœnitentia Sacramentali, siue virtute Morali disputationem instituamus, vtrumque muneris est Thelogici.

96. Pœnitentia Sacramentalis gaudet nomine pœnitentiæ secundùm denominationem extrinsecam, quam sumit à pœnitentia peccatoris dolentis pro peccatis, ex eo quia supponit in peccatore ad Sacramentum absolutionis accedente, tristitiam & dolorem mentis internum, qui propriè pœnitentia appellatur.

97. Absolutio à sacerdote cum debita intentione prolata, est Sacramẽtum pœnitentiæ: quod cùm iudiciale sit, omnia ad iustum iudiciũ requisita supponit, nempe reum, accusantem, testem, iudicem, & sententiam diffinitiuam. Cùm etiam sit iudiciũ misericordiæ, supponit reum pœnitentem, & aliquo modo iustitiæ diuinæ satisfacientem.

98. Huiusmodi absolutio significat efficaciter ex institutione diuina gratiam iustificantem amissam per peccatum mortale actuale post baptismum commissum, ipsamq; confert ex opere operato.

99. Hinc cùm ex opere operato gratiam conferat, supponit tantùm in pœnitente remotionem obicis & dispositionem remouentem obstaculũ gratiæ. Quæ dispositio, attritio supernaturalis ex inspi-

ratione Spiritus ſancti ſupernaturali concepta, vocatur, & virtute Sacramenti fit contritio.

Quid ſit Pœnitentia Moralis?

100. Pœnitẽtia Moralis, prout in actu voluntatis ſupernaturalis cõſiſtit, eſt diſpoſitio præuia ad abſolutionem ſacramentalẽ requiſita. Hæc quoadquid rei ſic deſcribitur. Pœnitẽtia eſt pœna voluntariè ab homine pœnitente pro peccatis cõmiſsis aſſumpta.

101. Vnde meritò diſtinguitur in pœnã culpæ deletiuam & ordinatiuã & inordinatiuam non deletiuam. Deletiua voluntaria eſt, non deletiua: at ordinatiua coacta & inuoluntaria eſt: vt eſt damnatorũ.

102. Cùm autẽ inuoluntarium ſit id quod voluntas nolens reſpuit, voluntariũ, quod ſuſtinet imò acceptat, dubiũ occurrit. Qualiter pœna viatorũ culpæ deletiua ſit voluntaria? Dubio reſpondemus Pœnitentiam viatorum eſſe voluntariam voluntate cauſante, deteſtante, acceptante & patienter tolerante.

103. Hinc duos actus voluntatis ponimus, vnum triſtitiæ cauſatiuum; alterum conſeruatiuum.

104. Cauſatiuus diuiditur in actum imperij, & in actum nolitionis & deteſtationis, quo voluntas abhorret peccatum commiſſum. Cõſeruatiuus quoq; diſtinguitur in negatiuum quo voluntas negatiuè triſtitiam inflictam conſeruat, & in poſitiuum quo poſitiuè dolorem aſſumptum acceptat.

105. Pœ-

105. Pœnitentia in quocunq; actu voluntatis fit, voluntaria dici potest. At maximè voluntariam esse putamus, quando simul fit à voluntate causante, detestante, acceptante & tolerante tristitiã. Si fit à voluntate causante, per actum imperij, est effectus & obiectum voluntatis, si fit à voluntate detestante actu odij, est effectus non obiectum. Ac tandem si fiat à voluntate tolerante & acceptante, obiectum & non effectus voluntatis appellatur.

106. Huiusmodi quatuor actus pœnitendi, sunt actus moraliter boni, & actus virtutis moralis acquisitæ existunt.

107. Primum (cùm vindicatiuus sit) dicimus esse actum virtutis determinatæ & specialis, habet namque obiectum speciale, & circumstantias particulares, secundùm quas regulabilis est.

108. Et cum ordinetur in ordine ad alterum non est actus amicitiæ; sed iustitiæ punitiuæ, qua punimus peccatum commissum contra legem Dei.

109. Insuper actus odij & detestationis est moraliter bonus. Cuiusnam virtutis existat. Doctor subtilis respondet, non posse esse actum virtutis specialis, sed indifferenter cuiuscunq; virtutis appetitiuæ, esse potest.

110. Duo reliqui actus pœnitendi actus virtutum existunt; primus nempe acceptatio, potest esse plurium

rium virtutum; & fit interdum actus castitatis, humilitatis, interdum fortitudinis. Secundus virtutē specialem & determinatam respicit, neq; potest esse nisi actus patientiæ.

De Necessitate Pœnitētiæ Moralis in ordine ad iustificationem.

111. POenitētia voluntaria volūtate causante, detestante, acceptante, & tristitiā tolerante, necessaria est ad remissionem culpæ lęthalis ex ordinatione diuina. Hæc duplex existit, Formalis & Virtualis: Vtraque est dispositio sufficiens ad condonationem culpæ.

112. Et cùm Pœnitentia Moralis sit dispositio prępuia, præcedere debet infusionem gratiæ & remissionem peccati. At quomodo necessariò præcedat? In genere moris; prout est actus alicuius virtutis non vnius sed plurium, necessariò præcedit. Non autem necessariò præcedit, prout est actus, ab habitu virtutis acquisitæ elicitus: Ex eo quod pœnitens omni habitu morali acquisito carens, habens actū contritionis supernaturalem, rectæ rationi in omnibus cōformem, aptum, natum elici ab aliquo habitu virtuoso, consequitur verè veniam peccatorum.

113. Insu-

113. Insuper huiusmodi actus pænitendi non requiritur quatenus est formatus, habitu charitatis atquatenus est informis. Repugnat enim dispositionem præuiam ad charitatem esse actum formatum ante charitatem.

114. Perfecta moralitas horum actuum, non est sufficiens dispositio ad gratiam iustificãtem, si enim dolor sit naturalis, ex parte principij, à voluntate nõ præuenta gratia Spiritus sancti elicitus, quantumcunq; sit moraliter bonus, etiamsi omnibus circumstantiis moralibus gaudeat, non disponit hominem ad gratiam. Accedente verò gratia Dei præueniente supernaturali mox inesse sufficientis dispositionis constituitur.

115. Vnde ordinem in iustificatione peccatoris ponimus. Primo peccator ex imperio voluntatis peccatum commissum considerat, quatenus est Dei offensiuum, à Deo auersiuum, præmij æterni cælestis impeditiuum, & supplicij æterni inductiuum.

116. Secundo voluntas liberè peccatum sic apprehensum detestatur, actu displicentiæ & nolitionis, præuenta nedum lumine fidei, quod peccatum sub ratione diuinæ offensæ ostendit, verum etiam Intellectus præuenitur lumine nouo supernaturali, per specialem ac internã gratiã Spiritus sancti facto, quo res diuinæ acutiùs & clariùs penetrantur, & volun-

 tas no-

tas nouo quodam affectu supernaturali immediatè à Deo inspirato pertrahitur ad pœnitentiam suaui & morali inclinatione.

117. Tertio tandem loco voluntas postquam liberè actum displicentiæ & detestationis ex inspiratione diuina concepit, continuat illud odium vsq; ad illud instans, in quo Deus decreuit dare gratiam pœnitenti.

118. In hoc vltimo instanti infusionis gratiæ, ponimus quædam signa & instantia naturæ, in primo signo intelligitur esse actus contritionis supernaturalis, informis. In secundo sequitur condonatio peccati. In tertio infunditur gratia habitualis. In quarto vnus & idem actus immutatus, fit actus contritionis formatus.

119. Hinc sit contritio sumatur pro actu formato, non est dispositio præuia ad gratiam, sed concomitans: si verò sumatur pro actu voluntatis informi, quatenus distinguitur contra attritionem imperfectam, & ex parte principij,& ex parte obiecti. sic est dispositio præuia non concomitans.

De necessitate Satisfactionis.

Quæ sit natura Satisfactionis?

120. COmmuniter satisfactio diuiditur in satisfactionem de rigore iustitiæ,& ex beneuolen-

tia ſeu acceptatione creditoris.

121. Ex ſententia Doctoris ſubtilis, ſatisfactionem de rigore iuſtitiæ ſic deſcribimus: Satisfactio rigoroſa eſt redditio voluntaria alicuius æquiualentis, ſecundùm valorem intrinſecum, aliâs indebiti.

122. Hinc omnem ſatisfactionem creaturæ rationalis, quæ reddit Deo aliquod opus ex proprio conatu à ſatisfactione rigoroſa reijcimus.

123. Hinc neque Chriſtus Dominus, neque aliquis purus homo poteſt efficere ſatisfactionem ſecundùm totum & adæquatum rigorē iuſtitiæ commutatiuæ. Et licet Chriſtns reddiderit Deo honorem ad æqualitatem intenſiuam & extenſiuam non tamen de rigore iuſtitiæ ſatisfecit.

124. Attamen ſatisfactio Chriſti eſt perfectiſsima in genere ſatisfactionis, imò infinita ex acceptatione diuina à nullo ſuperiori meritò dependens, non efficax, ſine noſtra ſatisfactione.

De remiſsione peccati.

125. CVm peccatum tranſeunte actu peccaminoſo ponat reſpectum rationis duntaxat in anima peccatoris, & obligationem paſsiuam ad pœnam inducat, ob id remiſsio peccati formaliter eſt remotio huius obligationis paſsiuæ, vel non obligatio hominis ad pœnam ex iuſtitia debitam actui præterito peccaminoſo.

126. In-

126. Inde ſequitur iuſtificationem & gratiæ infuſionem eſſe formaliter & realiter diſtinctam à remiſſione peccati. Et prius natura dimittitur culpa quā infundatur gratia, ac proinde ſtare poteſt abſque repugnantia, remiſsio peccati ſine infuſione gratiæ.

127. Præterea infuſio gratiæ habitualis, formaliter eſt mutatio realis, remiſsio autem culpæ, nullam mutationem inuoluit, nec realem, nec rationis.

128. Peccatum mortale non poteſt dimitti poſt hanc vitam, benè veniale.

126. Dimittitur autem veniale, non ex vi operis poſt hanc vitam facti, ſed ex vi meritorum quæ homo faciebat dum viuebat in gratia Dei exiſtens.

130. Sicq; cum Scoto putamus, Mortuū in gratia cum reatu peccati venialis, huiuſmodi reatum deponere, in vltimo inſtanti mortis, ex vi meritorum ſuperabundantium, & ex miſericordia Dei acceptantis merita Chriſti, cui ſit honor & gloria in æterna ſæcula, Amen.

Propoſitiones Scoti Problematicè ſuſtinendæ.

1. Vtrum adultus fictus in Baptiſmo de dolore peccatis mortalibus debito, recurrens ad pœnitentiam recipiat gratiam baptiſmalem vel pœnitentialem.

2. Vtrum

2. Vtrum idem fictus recipiat remiſsionem omnium peccatorum ex vi pœnitentiæ tantùm, vel partim ex vi Baptiſmi, partim ex vi pœnitentiæ.

3. Vtrum idem fictus baptizatus, pœnitendo de fictione, neceſſariò recipiat perfectiorem gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, quam in Baptiſmo, ſi non eſſet fictus.

4. Vtrum in triduo mortis Chriſti, ſi aliquis conſecraſſet ſub vtraque ſpecie panis, poſsit eſſe totus Chriſtus.

5. Vtrum actio adductiua corporis Chriſti ſit realiter diſtincta à Tranſubſtantiatione.

6. Vtrum Tranſubſtantiatio panis & vini ſit adductiua.

7. Vtrum panis annihiletur quando in corpus Chriſti conuertitur.



Diſputabuntur publicè Craco-
uiæ in ædibus S. Franciſci. An-
no Domini 1620. Menſe Februa-
rij. Die hora

Obiectis ſatisfaciet. Idem Fr. ADRIANVS
qui ſupra.

